(5

DE

DIGITALIS PURPUREAE

AC HYDRARGYRI

MIRABILI VIRTUTE

IN HYDROPE

DISSERTATIO PATHOLOGICO-THERAPEUTICA

VINCENTIO RAHO

MEDICINÆ DOCTORE

S. SEVERI TERRITORII PROTOMEDICI VICES GERENTE

AUCTORE

AC DAUNIAE APULIAE OECONOMICAE SOCIETATIS RESPONDENTE.


CLINICES REDDE-RATIONEM

HISTORIA II.

NEAPOLI.

EX MINERVAE TYPOGRAPHIA
in via Nardones num. 48.

MDCCCXXVI.



PRÆFATIO.



Quanta necessitas, quantaque utilitas morborum historias conscribendi adsit, nemo est, qui prolegomenis in praxin Clinicam haud adeo imbutus nos non assentiatur. Et re quidem vera, si ad ipsam Medicinae originem recurrimus, eamque a prima quasi infantia repetimus, nihil antiquius esse reperiemus, nihil per omnes Medicorum sectas qualeslibet latius disseminatum, quam illud de traditione, de historia. Quidnam ergo esset Medicina sine historiis? Nil mehercle. Excepto enim Fabuloso, Assyrii, Babylonii, Chaldaei, et Magi primo ut praesentes morbi tollantur, futuri avertantur contenderunt, et fere per naturalem in-

stinctum homines inter sese consilia communicabant. Hinc habitantes Ægypti , Lybiae Cyrenaïcae et Crotonis, denique Graecia fere tota per historiam Medicinam excoluerunt. De hac necessitate palam loquuti sunt descriptiones morborum , remediorum , et successuum in columnis , tabulis , et parietibus templorum ; aegrorum in triviis, et in foro expositio. Mente mea hac perspecta veritate, historiam levi penicillo de hydrope ascite , quo nobilis femina laboravit , suasu et amicorum adhortatione typis committo.

Nec tamen ab hoc negotio me absterrent molesta convicia agyrtarum et circulatorum turmae. Mihi satis erit veritatem investigare , ac nervosissime defendere , effraenas , hypotheticas , ancipites , falsasve theorias sternere , et humanitati dolenti dexteram pleno porrigere gradu. Quod quidem argumentum maxime animum concitavit meum ad illa publice impertienda, quae observationes hominum in arte celebrium medica praelo mandatae, literis publicis Nosologicis et multis notae ; quae multiplices , et adeo satis confirmati casus , me teste, in Nosocomiis Italiae ; quae celebratissima praxis Clinica Papiae et Bononiae; quae obstinationes aliunde ac quorumquam pertinacia , qui sciagraphia Clinica etiam destituti , reme-

dia quae haud novere, et quae praestantissima nostrae aetatis jam laudibus meritis decorata fuere, infamant; quae praxis mea; et quae denique non gloria mea, sed publica utilitas, ut sileam de aliis, sanxiere.





DE

DIGITALIS PURPUREÆ AC HYDRARGYRI

MIRABILI VIRTUTE

IN HYDROPE.

Nobilis fœmina Marianna Rocco, Barone edita, trigesimum quartum ætatis suæ attingens annum, sub calido prædita temperamento, laudabilique corporis habitu, optimaque constitutione, a parentibus scatentia, sensu donata permaximo, patefaciens idiosyncrasiæ rationem peculiaris; ad quintum ætatis suæ annum usque semper valuit atque floruit. Sexto vero, infausto omine, in cœnobium sub titulo Divæ Claræ Fogiæ Parentes induxerunt eam ut educaretur; cœnobium,

quod, qua topographiam, qua architectonicem, cæli caret salubritate. Ibidem ipsa permansit ad decimum sextum annum usque, quo a Medicis consilia ei exhibita, fuere ut foras progrediretur, ne functiones gastro hepaticæ, chylo, et hæmato-poëoticæ, quæ abnormes fuere, paullo post cœnobii aditum, mala gravia ac immedicabilia efficerent. Medicorum ægra vocis exhibita fide, domumque reversa, cælo- tantum salubri, et ab opere vacante phrygio, cui adeo satis vacabat, nullis medicis adhibitis auxiliis, præstantissimum obtinuit subsidium, ac pleno gradu saluti occurrebat. Et re quidem vera, quatuor mensibus, digestionis vitia evanuere, habitus pravus e conspectu evolavit, chlorosis, qua laborabat, devicta fuit, et denique hilaritas ac amœnitas ætati suæ non solum, sed Apuliæ ferventis habitantibus respondentia rediere. Hocce in statu certæ salutis severi ac virtuosissimi parentes iterum in cœnobium induxerunt eam, quo, octo mensibus, et aere, et opere acu picto omnia emolumenta evanuere et minax chlorosis iterum apparuit. Ad parentes Natura de profundis et nec dissimulanter clamabat; quin imo manu quasi docente eos corripiebat. Tunc illico dulcis et verecunda filia, domum reversa, æternum vale dedit cœnobio. Cum paullo post domi esset et sub dio degisset, menstrua regularia, tum quoad tempus, tum quoad mo-

dum, tum quoad quantitatem, et denique quoad qualitatem, bono omine apparuere. Menstrua, quæ prima vice (ætate adstante 17 annorum) tali apparuere modo, taliter perrexere iter usque ad annum vigesimum sextum ætatis suæ. Vigesimo septimo nuptui collocata fuit.

Nuptiarum die statuta, menstrua, paullo ante castos hymenes, fluxere. Tunc innocens mulier, per cubiculariæ insanum consilium ad corticem Peruvianum confugit, ut functio hæc sileret, et ne dulcis, optataque dies, quam irrevocabilem ipsa credidit, procrastinaretur. Dosi sufficiente, cortice Peruviana glutita, illico consilia adeo satis perfecta fuere; menstruatio nimirum siluit, et Natura tanta irata fuit injuria. Die unica elapsa a mensium optata et infausta suppressione, ad jugalem denique accessit thalamum. Incassum serenitas et amœnitas cras petebantur in vultu ejus, sed mœror et tristitia palam loquuta est de nocte prægressa, quæ, convulsionibus clonicis cum alalia gravis fuit et molesta. Ex eo inde tempore pallor faciei cum virescentibus angulis narium et oris, oculi halone plumbeo cincti, animi abjectio, et melancholia prodromi fuere certi diri morbi. Et requidem vera menstrua, quorum multiplex occurrit a statu normali aberratio, haud amplius cum levamine apparebant; modo immoderata profusio aderat, modo defe-

ctus ; nunc sanguinis qualitas ater mucosus prosiliebat ; nunc denique menses anticipabant , nunc retardabant ; et constanter cum molestiis multis, prostratione , doloribus , colica catameniali , variisque turbis prodibant ; iisque symptomatibus iter pergebant , comitabantur , et etiam aliquandiu sequebantur. Dolores continui, pungentes, et lancinantes e pubis regione oriebantur , et inquinum , iliumque extendebantur tenus æquali acerbitate ; modo , maxime vero dum exasperabantur , diaprhagma adgrediebatur : hinc spiratio fere spasmis intercipiebatur , cum manifesta cordis palpitatione ; modo rectum intestinum et vesicam urinariam : hinc tenesmo et ischuria spastica miserrima torquebatur ; quod silebat absque ulla excretione , quæ si aderat normalitatis potius characteres exhibebat . En dolens menstruationis tristeque syndrome , quod ad nuptiarum decimum quartum mensem usque perstitit !

A decimoquinto ad vigesimum primum usque vero mense, quo prægnans facta fuit, intensius doloribus torquebatur , menstruorumque defectus adeo notabilis continuabat. Bis et acerrime, mensibus deficientibus , infelix mulier , doloribus correpta fuit graviditatis primo mense ; quamobrem medicus Barone , graviditatis nulla adstante suspicione, fotibus ad ædœas simplicibus , hirudinibus ad magnas appositis labias , semicupiis, decoctis a-

dianthi herbæ, chamomillæ, similibusque eam opitulatus est. Menstrua dein, et dolores tribus aliis defecere mensibus. Quinto vero œdema ad pedes et crura apparuit, quod sexto ad coxas longius progrediebatur; septimo et octavo res in pejus ruebant. OEdema minax nimirum pubis regione pervenit tenus; erysipelas partes invasit verendas cum febre; validis torminibus, quæ cum ad ventriculum adscendissent, mox vomitum fecerunt liquidi aquosi viridescentis, acidi et adeo acris; cordis palpitatione, anxietate, ardore partium intestinarum, maculis livescentibus in gangrænam abeuntibus, doloribus atrocissimis, quos cum ægra hosce comparasset cum iis partus, post partum, partum dolores vere efficientes designavisse dixit. Erysipelas ejusmodi duodevicenas perrexit dies; in partibus vero subsistentibus affectis œdamate, et rigiditate.

Novem mensium spatio percurso, partum haud reddidit; sed aliquot post dies dolores per circuitus recurrentes eum nuntiavere. Aquæ profluere, et Natura validissime, sed frustra pro fœtus exclusione adigebatur; quoniam œdema, durities, partiumque rigiditas verendarum, erysipelatis successiones, insuperabilem afferebant impedimentum; et fere impossibile esset, ni interfœmineum, magna laceratione, uteri nisui, musculorum abdominalium conaminibusque illico

cessisset. Post tot tantosque labores, ac dolorum catervas, vigintiquatuor horis, ab aquarum profluvio tandem, delapsis, puellam (Ahi infelix puella, manes tui manes quantos afferunt! Dolores quam renovant! Quam adeo innocentes tui cineres luctus lacrymis repetunt memoriam! [1]) enixa est sanitate gaudentem optima, perfectaque constitutione. Tunc miserrima, matre facta, parcere metu, laboribusque imponere finem plane credidit, sed eventus eam fefellit. Partu enim reddito, dolores sequuti fuere, abdomen totum tensum et tumidum superfuit, cum aliis symptomatibus febrem comitantibus, quæ, quoad ægræ narrationem, eruditione plenæ satis bene, puerperalis nuncupanda est. Febris, etiamsi quatuordecim percurrerit dies, nihilo tamen minus lochia, excepta quasi suppressione primorum quinque dierum, rite et copiose fluxere; mammæ etiam lacte tumuere, nec ejus secretio intercepta fuit, quæ feliciter perduravit.

OEdema aliunde quampotius decrescere, ut

[1] Jam tertium tetigit annum hæc infans, vitæ matris dulcedo, et suorum malorum consolatrix tantorum, quando ancillae socordia ab alta fenestra domus, quam habitabat delapsa, capite pavimento lapideo summa vi impegit. Accucurri ut miseræ succurerem, sed incassum, quoniam illico spiritum emisit.

solet quando e mechanica uteri impregnati pendet pressione in hypogastrica vasa, aliaque viscera circumstantia, in primiperis præsertim, partus quinque post dies, minax furebat. Nescio quali indicatione prehensus Barone, cum cortice Peruviano hunc aggredi morbum credidit. Post tresve duasve hujus pharmaci propinationes miserrima morti certæ occumbebat, et jam in pulverem reverteretur mehercle, nisi fortuito ægram visitassem quodam adstante Medico la Salandra.

Hac visitatione opportune obtulit se mihi Barone, qui de morbo aliquid superficie dixit tenus, et omnibus unanimibus corticis Peruviani aliæ doses, quæ illico exhibendæ erant, condamnatæ fuere. Cum Barone post visitationem denuo solus esset, parietariam et nitrum cortici subrogavit Peruviano; dein jure meritoque ad scyllam seu squillam confugit. Scyllæ parva exhibita dosi, colica atrocissima ægra aggressa fuit. En momentum, quo morbi fastigium doloribus exacerbatum vehementibus omnia plane artis molimina pro Barone eludebat, et difficillimam, fereque impossibilem reddebat curationem; quamobrem suo ægra misere relicta fuit fato. Irrevocabili mortis certæ, immaturæque judicio declarato, accersitus fui ut consilium haberem, Barone, Chirurgo Festa adstantibus, et la Salandra.

Dolor topicus in pubis regione per abdomen

adeo vagans, qui vaginam præsertim, lumbos, et os sacrum simul obsidebat, ardentissimus erat, continuus, et pungens. Pubis regio tumebat, nec tangi facillime poterat præ dolore. Ægra difficillime erigere semet sponte sua; nec, per tensionem uteri ligamentorum, per muscolos etiam abdominis, aponeuroses quorum cum illa fasciæ latæ colligatæ, crura movere, nec corpus flectere valebat. Alvus et vesica silebant. Pulsus duri, frequentes, et contracti cum caloris elevatione; pectoris oppressio; lingua arida et sitis; cephalalgia; œdema denique, quod antea descripsi, semper pervicax; hoc catervam constituit symptomatum; hocce, etiamsi ex imperfectissima relatione [a], nihilo tamen minus ex sedula inspectione studiose ventilatum fuit. Forma morbi, nec non natura ejus firmatis, illico, ad colicam tantum uterinam debellandam, semicupio, quod antea jam paratum fuit, immersa est ægra; dein repetitas olei amygdalarum dulcium doses de manu celeriter dedi. Post duo semicupia, tresque post uncias olei, provecta nocte (13 Augu-

---

[a] Quod descripsi tum quoad anamnesin, tum quoad ætiologiam ex ægra accepi; quoniam Barone veræ morbi ætiologiae haud studuit, falsamque pathogeniam, de quibus infra, sibi patravit.

sti 1821) levaminis adfuit tantum , ut hirudinibus , quas cum oleo proposui , haud indiguimus. Primo mane , colica devicta fuit , mortisque judicium revocabile factum est. Die crastini alvum bis posuit , lotiumque quoque misit , placideque somno ægra indulsit ; dein in spem magis magisque erectus fui ad morbum principem fugandum.

Hisce omnibus sedulo descriptis, pathogenia liquido fluit. Si perpendimus enim ægram a teneris unguiculis sacris detentam fuisse mœniis , quibus præmaturæ studendum erat rigiditati. Si perpendimus insalubrem cœnobii aërem , quo pulmones, et corporis ambitus totus externus vescitur. Si consideramus opificii naturam , atque ejus immoderationem. Si infantiæ totum ejus decursum absque gymnastica [3] perspicimus ex par-

---

[3] . . . . eo magis et densum et purpureum sanguinem esse, quo validius homo motu musculorum se exercuerit. Boerhaave. Tom. 2. pa. 434.

In ambulationibus apertis vagandum , et cœlo libero, et multo spiritu augeat, attollatque se animus. Seneca. De tranquillitate animi. s. 15.

Si homines tempore debito exercitiis atque labore uterentur , carere possunt multis medicis , atque medicamentis. Avicenna.

Magnopere juvat exercitatio corporis , qua musculi firmantur , digestio promovetur , oxigenis paratio in pul-

te una, haud inferre nobis arduum est, omnes hasce caussas, prius digerentes vires ineptas reddidisse, dein processum productionis organicæ, actionis vitalis opus, penitus turbatum fuisse. Si hoc mente haud fugit nostra, alia diligentius eruimus. Quoniam, motu corporis plane intermisso, læsa digestione et viscerum reliquorum activitate abdominalium, cum hisce in partibus motrix vis naturaliter minor sit, stasis haud nobis latet; ex qua tardior sanguinis per venam imprimis portarum motus; ex quaque chlorosis. Præterea si oculis repræsentamus, sanguinis circuitum majori cum momento, pubertate adstante, per uterum occurrere [4]; quo fit hypogastricas venas, in quas sanguinem revehunt vasa uterina non solum, sed et lumborum, ossisque sacri plexus venosos, et annulares venæ medullæ spinalis intra vertebras lumbales sitas, venas vesicæ et

---

monibus acceleratur. . . . Sprengel. Institutiones Medicæ, Therapia Generalis. Vol. X. Pars Specialis. Sec. II. Cap. III. §. 139.

4 . . . . occurrit principio incrementum uteri ut ovariorum in pubescentibus puellis manifestum, quo fit, ut uterus ante fere cartilagineus ac cum reliquo corpore malignius cohaerens, jam magis evolvatur, sanguinis plus recipiat, et functionibus aptus fiat. . . . . Sprengel. Physiologia. Vol. III. Cap. II. Sect. II. Menstruus sanguinis cursus §. 519.

hæmorrhoidales internas, magnopere distendi, et laxari, ex quo turgor illis in partibus, menostasia, minax cachexia, levis et continua uteri, partiumque circumstantium inflammatio, malorumque quæ descripsi, caterva; malorum caterva, quæ etiamsi fugata fuisset a cœnobio discessu, nihilo tamen minus aliquantulum morbosum sanitate tolerandum superfuit, quo textus organicus specificus vividius ac vehementius a caussis afficeretur procatarcticis. Et requidem vera ex parte perspiciendo alia luculenter pathogeniæ tota patebit evolutio. Namque cum arteriæ capillares [5] e villis uteri, vaginæque rato ordine sanguinem menstruum fundentes, corticis, vi adstringente atque stimulante aggressæ fuissent, Peruviani, illico eorum oscula clausa fuere, subita suppressio enata fuit; indeque vasa hypogastrica, plexusque mesenterici sanguine aliquo excrementitio fœdato [6] exonerari nequiere; levamenque, quo sola humana species [7] divinitus insignita est, de

---

[5] Kaaw- Boerhaavii sententia.

[6] Ut Sprengel expertus est.

[7] . . . Indiem liquet menstrui sanguinis cursum in sola humana specie et pauculis mammalibus anthropomorphis, existere. . . . Sprengel. Cap. I. §. 498.

. . . . Namque, quem sanguinis fluxum cum Aristotile veteres in simiis et aliis domesticis animalibus ob

manu ægra sibi negavit. Ulterius, si uteri, menstruis fluentibus, manifestationem vitalem toto suo ponderamus momento [8]. Si hocce in statu ad castos eam comitamur hymenes. Si fervidos conjugales consideramus amplexus. Si œstrum castæ Veneris ex divina [9] concitatum amoris scin-

servasse sibi visi sunt, probabiliter jam ab Hallero ad furoris venerei effectum reducitur :. . Sprengel Cap. II. Sectio II. §. 516.

[8] . . . . Atque observationibus constat, uniusmodi antea substantiam, dum menstrua instant et fluunt, in disparia secedere strata, quorum interius rubicundum leviterque inflammatum est, inflammatæ etiam interdum tubæ bestiarum, primo furore venereo concitatarum. Sensus quoque jam nascuntur, ante occulti aut nulli, cum novos sanguinis irruens stimulos importat. Quo fit, ut formetur etiam centrum actionis, quod in quovis organo activo nascitur; a fundo enim uteri inde deorsum procedit contractio, qua sanguinis guttæ e vasis exprimuntur: similes nonnunquam dolores accedunt, qui in parturientibus occurrunt. Et ipsa voluptatis sensatio, novo et insueto modo vel castissimas puellas commovens, argumenti satis est, hoc sanguinis impetu uterum sensim functionibus adsuefieri, licet manifestum fibrarum et mediæ substantiæ cellulosæ discrimen in virgineo utero nusquam appareat. Pertinent hæc Denmani observatio de membranæ deciduæ quadam specie in utero menstruum fluxum emittente et vulgaris alia de facillima conceptione proxime a menstruo cursu. Sprengel §. 519.

[9] . . . . Potentissimus enim ille amor, quo uterque

tilla inspicimus. Si totius œconomiæ imperium denique, quo potitur, perpendimus hoc viscus, inferre etiam nobis licet, continua et levi inflammatione substantiam ejus correptam fuisse, ex qua organisatio ejus aliquantulum degenerata, indurata, ex qua inanes contractiones ad menstruationem, retentiones, colica atrocissima catamenialis, ex quaque tandem aliæ aberrationes jam expositæ. Neque consilio referto ad prægnantium conditionem graviditatis status spernendus est nobis. Novus processus enim vegetationis, immodica sensibilitas, aut irritabilitas, sanguinis congestio in vasa uterina major, digestionis læsiones, vomitus, appetitus perversus luculenter uteri compagem ita mutari atque transformari [10]

---

sexus ad se invicem attrahitur, scintilla vere divina est, etiamsi physice eum consideremus ... Sprengel. Cap. I. §. 498.

[10] Les vaisseaux de la matrice ne sont point exempts des effets de la grossesse. Liés aux fibres qu' ils arrosent, ils se déploient en même temps, et leurs contours multipliés s' éffacent. Ètant moins serrés d' ailleurs, et moins comprimés par ces mêmes fibres, quelques-uns d'eux parviennent à un degré surprenant de dilatation.

Si cette dilatation ne s' observe pas dans toutes les régions de la matrice où il y a des vaisseaux apparens, du moins la remarque-t-on constamment dans l' étendue

testantur, ut jure celeberrimus Tommasini graviditatem levem esse flogosin dixit [11]. Cum hæc singularis uteri structuræ vicissitudo a Vesalio jam et Santorino indicata, dein a Meckel secundo et Calza probata fuisset, eo magis graviditatis cursus túrbari ac pessumdari, quo graviora antea symptomata, uteri lentam organisationis patefacientia, edidere, degenerationem; eo magis ad colicam proclivitatem, quo intensius turgor vitalis, quo difficilius evolutio ejus; eo facilius stases in vasa uterina, quo difficilius sanguinis circuitus per eadem; eo magis hæc omnia furebant,

---

qu'occupe le plecenta: là où tous les accoucheurs savent que plusieurs des sinces deviennent assez grands pour contenir le bout du petit doigt; et les autres à peu près une moyenne plume à ècrire. Ce ne sont pas seulement les vaisseaux sanguins qui se développent et s' élargissent pendant la grossesse, les vaisseaux lymphatiques le font bien davantage, si l' on n' a égard qu' à leur diamètre primitif; puisque, selon le docteur Cruikshank, ils deviennent aussi volumineux qu' un plume d' oie, et paroissent d' ailleurs si nombreux, que la matrice ne semble qu' un amas de ces vaisseaux. Les nerfs se dév eloppent et s' accroissent comme les autres parties. Baudelocque. *L'art des accouchemens*, Tom. I. Part. I. Chap. II. Art. I. n. 120, 221.

[11] Vide opusculum meum. *Sulla natura dell'infiammazione e della febbre continua* ec. ec. pag. 37, annot. 24.

quo magis graviditas evolvebatur. Hinc vasa absorbentia, exceptis aliis obstaculis insuper perpensis, ab immensa et morbosa uteri mole gravidi [12] comprimebantur; absorptio haud facile exequi poterat, serique collectio per totam cellularem imprimis pedum, crurumque, dein coxarum, tandemque pubis regionis, ex quo œdema illis in plagis [13].

OEdemate magis indies ingravescente, ambitus cutaneus œdematosus, partium verendarum præsertim, distendebatur, et peculiari modo, per seri stagnantis degenerationem, incaluit, atque rubuit, ex quo cutis inflammatio, ex quo gra-

---

[12] . . . . viscus, quod antea vix bipollicare erat, ante partum in pedalem et ultra molem intumescit: cavea, quæ antea subnulla, ante partum quadringentos fere pollices cubicos tenet: pondus paucorum scrupulorum increscit in sexdecim sæpe libras: parietes inprimis, qui in virgineo utero quatuor circiter lineas diametro complexa erant, jam ad sequipollicis fere crassitiem turgescunt. Vasa sanguifera exilissima in immensam molem augescunt, maxime vero venæ, quarum incredibile incrementum Walterus Berolinensis bene expressit. Sprengel Cap. IV. *De utero gravido et partu.* §. 542.

[13] . . . . Gravido utero comprimi vasa absorbentia, eoquo modo œdemata pedum nasci, frequenter accidit. Sprengel 272.

ve erysipelas [14] maculis lividis consertum in gangraenam abire facillime minitans [15].

Sedulo perpensis omnibus interea tum quoad uterum, tum quoad œdema et erysipelas, uteri cervix, et portio vaginalis ejus haud contrahere sese facillime potuere, neque mollescere; obdurescentibus enim ac rigidis his partibus, latex mucosus haud facile exprimebatur, neque os uteri fundi ejus insigniter pansi et turgidi contractionibus validissimis cedere poterat; hinc partus difficilis, protractus, interfœminei laceratio. Ex resistentia dein cervicis et partium externarum, vis muscularis uteri magis intenta, contractiones repetitæ, validæ et inanes, peritonæi uterum obvestientis distensiones irregulares, musculorum abdominalium ac diaphragmatis nimia contractio, horum super ute-

---

[14] . . . . Altre cagioni però. . . . . indur possono le risipole come sarebbero . . . . . la troppa distensione, o irritante acrimonia di un travasamento subcutaneo come negli idropici . . . . Monteggia Istituzioni Chirurgiche. Edizione II. Vol. I. Cap. VI. Flemmone e Risipola. 320.

[15] . . . . Anche nelle risipole sopravvegnenti agli idropici sopravviene di spesso la mortificazione. Giov. Hunter era d' opinione che la cancrena così facile a farsi nelle risipole fosse un prodotto non della infiammazione propriamente, ma di un principio mortificante particolare ad essa, come al carbonchio. Monteggia. Op. cit. 326.

rum compressio, nisus vehemens et diuturnus, pectoris angustia, spirandi difficultas, totiusqne corporis tremor, inæquabilem sanguinis effecerunt circuitum, magnam in utero congestionem, febremque tandem puerperalem [16].

Si consilium transferimus denique ad corticis Peruviani virtutem, alia damna [17] eruimus, ut morbi natura magis magisque eluceat. Pharmacum enim hocce processum vitalem magis exaltavit, morbosam vegetationem magis intendit,

---

[16] Ipse partus favet huic ægritudini. . . . vicissitudo celerrima voluminis pansi et præpopere contracti non utero soli, sed ipsi etiam peritonæo valde noxia est, unde facillime ongestio oxydandorum humorum sequitur. . . . . Sprengel oper. cit. *Pathologiae Specialis* Vol. VI. Lib. II. Cap. XII. B. Peritonitis puerperalis §. 294.

Haud immemor sum celeberrimi Borda in praxi Clinica, veram febris puerperalis pathogeniam evolventis. Hic Medicinæ insignis præceptor, et Ticini olim fulgidissimum ornamentum hæc protulit. » L' orditura della febbre puerperale quando questa si sviluppa, debbesi riconoscere dal momento della concezione ; è in quel momento che la Natura determina maggiore energia per l'adesione e per lo sviluppo di un nuovo individuo ; è in quel momento che una lenta flogosi investe il tessuto uterino ; flogosi che dietro lievi cagioni si manifesta con sintomi i più spaventevoli da distruggere la vita in pochi giorni ec. ec. ec. ec.

[17] Vide opusculum meum. *Ipotiposi di una otite*. *Napoli* 1824.

materiæ plasticæ reproductionem adjuvavit, circuitus momentum intensius exercuit, robur toti auxit organismo, menostasiam auctiorem reddidit, flogosin lentam extendit, sanguini ex vasis descriptis in hypogastricas venas revehenti impedimentum fere insuperabilem attulit, uteri compagis præsertim incitationi validum addidit stimulum [18], ex quo seri separatio magis aucta, absorptionisque munus magis impeditum, indeque seri colluvies copiosior, œdema magis intensum.

---

[18] Quo efficacius autem est hocce remedium, eo majora etiam damna inferre poterit, perverse adhibitum: ut igitur necesse sit, momenta intelligere, quibus positis, corticis peruviani usus interdicitur, et quo sequentia referenda sunt: a) status hypersthenicus et inflammatorius, tum universalis, tum partialis; b) sensibilitas totius corporis nimis tensa; . . . . d) extrema organorum digerentium et reliquorum viscerum abdominalium. . . . sensibilitas, aut sordium in iisdem collectio, aut eorum tumores, obstructiones; e) viscerum pectoralium sensibilitas excedens, inflammatio in iisdem vigens, sive acuta sit, sive chronica, organisatio vitiata. . . . Hartmann *Pharmacologia Dynamica.* Cortex Chinae fuscus. pag. 423.— Sufficiuntne hæc pauca medico Barone ut in auxilium corticem vocet Peruvianum, suamque discat dignitatem? Minime vereor. Praxis enim jam viginti annorum sub tyrannide Browniana, Clinica destituta, nova sublimatione purgari haud permittunt, ac a Medicinæ dignitatis fastigio semper propelletur.

Ex anamnesi deinde, ex ætiologia, ex statu præsenti, ex symptomatologia, ex perversa therapia prægressa, æque ac ex pathogeniæ evolutione jure statutum fuit œdematis causam in systematis ultimarum arteriarum, quæ in vasa abeunt capillaria, incitatione, dynamicam, exaltata existere; mechanicam vero in uteri induratione aliquo adesse puncto. Et, ut magis hoc declareretur, signis rationalibus fere certis, manus exploratio Cerusicæ apposita fuit, quæ illico uteri cervicem induratam esse, nec tangi poterat præ dolore, deprompsit, nostrumque, publico consultu, judicium affirmavit ac comprobavit [19].

---

[19] Barone e contra vasorum absorbentium debilitatem accusavit, quamobrem ad incitantem potius propendebat methodum, qua et excretiones augebantur, et absorptio promovebatur. Ast a veritate quantum Medicus hicce deflectebat, ex morbi historia, symptomatibus comparatis et caussis prægressis, haud difficile innotescit. In amicitiæ gratiam tantum pauca Hildenbrand insignis Patris enuntiabo de virium doctrina.

» Debilitantur autem actiones organicæ in febribus triplici ratione; nempe vel ex organicis *viribus subpressis*, vel ex *viribus languentibus*, vel ex *viribus exhaustis*.... *Institutiones Practico-Medicae Rudimenta Nosologiae et Therapiae Specialis complectentes*. Tom. I. Viennæ Austriæ 1816. *Therapia febrium in genere. Actiones vitales debilitatae* 596.

Oedematis caussis rite rimatis, seduloque distinctis, duo momenta data erunt nobis indicativa ad morbum evincendum; ut exaltata incitatio idest arteriarum systematis imminueretur capillaris, utque uteri durities suam adipiscere-

---

Quævis harum debilitatum propriam agnoscit medendi rationem . . . . 597.

Vires *subpressae* aut *obrutae* dicuntur, quæ, ntut minime deficientes, ita tamen in libertate ad præstandas functiones organicas sunt impeditæ, ut nec ad sanitatem requisitas, nec pro operatione critica in febribus necessarias reactiones peragere valeant. 598.

Obstaculum scilicet ex parte potentiarum agentium in hoc casu positum est nimium, quam et vires organicæ, sub optimo ceterum conatu, debita *reactione* respondere possent. Neque hoc obstaculum, qualecunque esset, moles iners est. Ipsa enim resistentia quævis subponit vim resistentem, quæ ergo in hoc casu superat ac obprimit vim reagentem. Quemadmodum igitur elasticæ, ut aliæ physicæ vires in conflictu cum obpositis functionibus debilia ac insufficientia molimina exerunt, ita etiam organicæ. Sic. v. g. arteria sanguine nimis plena, musculus fortissime ligatus, aut pressus, aut extensus denegant motum, quin careant ideo vi motrice, quæ mere obruta est, et quam exercent illico renixu nimio amoto. 599.

» Languent igitur (est Hildenbrand doctrina) ex his rationibus, aut plane inhibentur functiones physiologicæ vel singulæ, vel omnes, atque diversorum motuum vitalium frangitur energia. Hæc vere ex subpressis viribus orta actionum *debilitas*, realis non est, ac illo momento

tur organisationem ; et tali modo liberando, atque e servitute vinculorum absorbens systema emancipando, nec non mechanica destruendo repagula, seri stagnatio per urinas eliminaretur. Nitrum [20] impri-

---

evanescit, quo vires liberantur a resistente obstaculo. Propterea hanc *debilitatem spuriam* nominarunt pathologi, nomine quidem inepto (attento animo perpendantur hæc a Barone quæsumus), sed meliori ab aliis nondum substituto, nisi *illegitimae debilitatis* placeret denominatio. Differt enim penitus a debilitate *legitima*, *vera* et *reali* in qua vires organicæ reapse sunt imminutæ, atque a *debilitate indirecta* incitabilistarum, in qua vis vitalis reagens exhausta est ; ubi e contra in spuria debilitate nec est imminuta. Hinc debilitas indirecta pro corretione sua requirit stimulos fortissimos, quibus spuria debilitas adaugeretur. Atque optimum debilitatis spuriæ exemplum, quod et differentiam ab indirecta debilitate planam et apertam facit, offert debilitas inebriatorum potu spirituoso. 601.

Causae subpressionis virium sunt obstacula illa, quæ viribus invincibilia, eas obruunt, atque sufficientem earum reciprocam actionem sive in solidis, sive etiam in fluidis impediunt. 603. — Inexhausta quanam utilitate ac necessitate hoc non pollet principium ? Estne parvi virium ponderis studere naturæ ? Nonne de vita aut de morte judicetur, dum de virium natura judicium feretur ?

[20] Dosi moderata usurpatum, princeps est remedium

mis ad hoc obtinendum adhibitum fuit, sed incassum, quoniam irritatio adaugebatur; urinæ parva fluebant quantitate, et œdema ad anasarcam pleno gradu iter incipiebat. Dein ad cremorem tartari [21] methodo Gherli [22] et Menghini [23] recurrimus; sed, etiamsi per triduum crebra percolarentur lotia, pluriesque ægra ad lasanum surrexerit, nihilo tamen minus tartari cremor, nitrumque morbi tantas haud valebant destruere caussas; habitus enim magis depravabatur, pallescente facie et fere inflata, spirandi difficultas summa, et anxietas aderant, maxime dum supina cubabat; noctes autem constanter inquietæ,

---

antiphlogisticum, quod calorem febrilem temperat; cordis arteriarumque immoderatam sedat reactionem, sanguinis fibram et albumen solvit, alvi et urinæ excretionem promovet. . . . Hartmann. *Pharmacologia Dynamica*. Vol. II. Antiphlogistica solventia. §. 343. Nitrum.

Insignis est nitri potentia, calorem attrahendi adeoque refrigerandi, quo facto vires circuitus debilitantur, capillaria vero vasa laxantur et secretiones promoventur. . . Sprengel. *Pharmacologia*. Vol.II. §. 286. Nitrum.

21 . . . . actionis vitalis excessum, præprimis in systemate vasorum, orgasmum, congestiones activas ... compescit, urinæ simul fluxum adjuvans. . . in hydrope. Hartmann. Op. cit. Vol. I. §. 229. Sales Neutri. Crystalli tartari.

22 Centuria prima di rare osservazioni. Osserv. 55.

23 De Bonon. scient. et art. Instituto. tom. 4.

angoribusque magnopere ægram cruciantes ; tumor abdominis et fluctuatio; urina parca et turbida ; alvus dura ; cutis arida et tensa ; ardor intestinus , et dolores quaquaversus continui, inquietudo et jectigatio cum pulsuum concitatione, calore fere febrili ; pustulæ serosæ , pruritus, et erysipelas ambo sævientia crura, luce meridiana clarius pronunciavere œdema in anasarcam, hancque in asciten transiisse.

Morbus , ascite facto , symptomatum syndrome auxit , ac intendit , hincque dilationem haud patiebatur. Abdominis tumore enim atque fluctuatione, indies ingravescentibus, totam, excepto capite , inflavit ægram, respiratio difficillima facta est , et orthopnoeam minabatur ; per magnos et miserandos cruciatus , vires prosternebantur , animus objiciebatur , membra voluntati haud amplius obtemperabant , præque doloribus vehementibus immobilia facta fuere ; pulsus permaxime concitati , et tum frequentia , tum celeritate , tumque rhytmo, plenam serventes perturbationem, cum linguæ ariditate, cutisque calore nimis aucto , ac rigiditate , febrim clarius edidere ; urinæ etiam parva fluebant quantitate; œdema , crura demum magis magisque sœviens , erysipelas audax reddidit , pustulasque numero, prurituque , dolentissimas effecit , noctu præsertim , quo tristitia et dolor placidæ aderant matri , ca-

stæque conjugi. Pondere ac seri degeneratione, pustulae ruptæ fuere, ex quibus latex initio promanabat serosus, post magis spissescens, flavescens, atque sub-viridescens pustularum congeriem earundem adrosit valde magnam, et ulcus crurum edidit utrinque. Per hebdomadas hoc duravit stillicidium, et magna materiei copia multa cum molestia, et sine ullo levamine; imo latice magis rodente facto, ulcera eo magis irritabat, quo copiosior fluebat; eo magis gangræna crura minabantur, quo profundiora ulcera evadebant.

Morbi tanto adstantibus fastigio, mortisque summo periculo, Barone ad asellos (Onuscus Asellus) refugium imprimis habuit, [24] eodemque tempore ad crura incisiones proposuit ac fervide sustinuit. Sed quomodo exoluerunt ejusmodi farragines ex typica et mystica pharmacologia patet, patet ex pathogenia, patentque mala denique, seu saltem

---

[24] . . . . a nonnullis commendati. Hartmann. Vol. II. §. 159.

. . . . ma io posso aggiugnere (così riprende il Clinico d' Edinburg) la mia testimonianza a ciò, che riferisce il dottor Lewis, assicurando d' aver veduto prendersene una gran copia, cioè un centinajo, due volte al giorno, senza che se ne osservasse alcun sensibile effetto sui reni, e senza alcun profitto nella cura delle malattie, per cui erano apprestati. Cullen. Vol. VI. 19.

ex incisionibus inutilitatem, licet dexterrima peractae fuerint manu. Digitalis purpurea aliunde tam diri pervicaciam morbi compescere solummodo, ac curare poterat. Hic quanta lis, controversia quantaque! Disputationem Barone ingressus est, hoc remedium infamavit dein atque blasphemavit. Nec tamen valuit ægræ metum inferre veneni, remotis arbitris, quod non clam me fuit; sed incassum: ægra enim, surdis auribus digitalem magno deglutivit animo[23]. Imprimis tria grana in pulverem redacta cum saccharo exhibita fuere, quae lente inchoans aliquot post dies, cum dosis ad septem pervenerit grana, urinæ jumentariæ mox cum floccis, filisque, et quod subsidebat spissum et mucosum, percolabant, mox eis supernatantibus adipis ocellis, mox denique cuticula versicolore conspersæ fluebant tanta copia, ut pondus ciborum adeo potuumque superabant. Desidendo insimul cum stercore naturali magnam seri copiam ægra secedebat; et hæc alvi dejectio per aliquot dies in die bis et ter recurrebat magno cum levamine. Cum digitalis brevi tantum attulerit lavamen, ægra, quæ antea (mirabile dictu!) perdifficillime, et per cruciatus

---

[23] Vide opusculum meum. *Sulla natura dell' infiammazione e della febbre ec. ec.* pag. 72. Annot. 22. Un mediconzolo ec. ec.

magnos movebatur se loco, rheda vehebatur, et per vectiones etiam in plostello, data opera constructo, infantis instar, domi, ad corporis exercitia incitabatur.

Ex pathogenia autem prævisum etiam fuit sola digitale haud radicitus ascitem curari posse, vel serius saltem; sed remedii indigebat, quod resolventem duritiem partium descriptarum, morbi caussam constituentem, proximam vim possideret. Hydrargyrum resolvens efficax remedium sub unguenti forma laude haud indigere mea, quoniam et ex celebratissima antiquitate, et ex observationibus copiosis, fideque omnino dignis, totam absolvisse sæpe sæpius curationem hisce in morbis, patet. Unguento mercuriali per frictionem adhibito insimul cum digitale, quæ, primo initio, minuta exhibebatur dosi, in diem ad duodevicena adaucta fuit grana a mense Augusti ad Aprilis usque, quo tempore jam ægra tres unguenti absorpsit uncias, septuaginta fricatibus peractis. A digitalis tanta dosi vero post paullum ægra in diem recessit, et ad octo grana pharmaci hujus solummodo tolerantia egit mensuram.

Per digitalem et per hydrargyrum lotii excretio creberrima et fere pulte mixta usque ad morbi curationem fluebat. Ascite tota devicta, œdema ad crura superficie tenus tantum perstitit, cum aliqua eorundem duritie; abdomen sub-

sedit, atque concidit; formidabilia ulcera cicatricem ducunt. Menstrua copia et tempore debitis fluebant. Somnus et ciborum cupiditas, perspiratio cutanea, et sensuum efficacia redintegrantur. Amœno roseo colore genæ et labia perfunduntur; rediit debitus vigor toti corpori, torositas, viresque rediere. Eundo pedibus facillime dein, memorabili et gravissima ægritudine, aut potius malorum innumerorum caterva, nobilis mulier ostendit se liberatam fuisse. Neapolim tandem profecta est, ut morborum residua aquis curerentur mineralibus. Caussis hydropis jam devicti rite rimatis a doctoribus Equite Ronghi, Scattigna, Postiglione, et Lanza eandem sedula videre exploratione, quam egomet vidi, eadem remedia, digitalem et hydrargyrum idest, post balnea marina, et aquæ martialis potationes, præfinivere, ad radicitus omnia curanda. Brevi post hydrargyri ac digitalis alias doses omnia evanuere malorum residua, et nunquam, jam lustro elapso, ægra ascite correpta est. Sed alia (oh infortunatissima amica, nobilis mulier!) sed alia dein bis et ter superaddidere mala, historia quorum non datur conscribere; nec conscribere necesse est, ut Clinices hujus redde-rationem dissertationem ampliem.

Sancta mulier, ac virtuosissima conjux, matris dulci nomine cassa, si fatum tibi ex morbo convale-

scere, et si ex aliis jam instat fortunata dies, quo tibi etiam convalescere, ut Scattigna extremo jam jam designavit tactu, publico consultu, parce metu, mœrore affici desine, ac lacrymabunda meditatione ne animo angere. Dedit tibi Deus tanta pati, deditque tibi tanta vincere. Vince et vale.